JESUS CHRISTUS.

IN hac Causa vertente inter Marchionem de Nulles D. Josephum Català, & Valeriola, & D. Ludovicum de Borgia Ducem Gandiæ, necnon Domnam Cajetanam de Omns Marchionissam de Moya, mediante Persona, & legitimatione Judicij eorum respectivè Procuratorum, multa licèt fuerint hincindè deducta, & tùm voce, tùm scriptis proposita, tria tamen signantèr Capita, seù principales, & distinctos Articulos maturè ponderare, & decidere contingit. Primò scilicet, an sit locus revisioni, vel confirmationi Sententiæ prolatæ in Regia Audientia Sardiniæ die 24. Decembris anni 1675., per quam data fuit immissio ad Statum, & Marchionatum de Quirra præfato Duci tamquam hæredi scripto Marchionis D. Ioachini Carroz, & Centelles ultimi Possessoris dicti Status, & Marchionatus ad mentem *L. fin. C. de Edict. D. Adriani tollendo*; annullata præcedenti possessione dicti Status, & Marchionatus Quirræ contrà eiusdem Magistratus inibitiones præcedenter capta.

Secundò verò, utrum ex noviter in hoc Judicio propositis, & deductis à prædicto Marchione Josepho Catalá de Valeriola sibi concedenda, vel deneganda sit immissio ad prædictum Marchionatum, seù Statum Quirræ ab eo petita coram Supremo Aragonum Consilio in Schedula diei 10. Junij 1709. eo nempè titulo, & causa, quod ipsi fuerit in contradictorio eiusdem Ducis adjudicata, ac data immissio Marchionatus, seù Baroniæ de Nulles per Sen-

ten-

tentiam Regiæ Audientiæ Regni Valentiæ cum votis Supremi Consilij Aragonum prolatam die 31. Maij 1695., & in Judicio supplicationis confirmatam à Supremo Consilio Castelle die 5. Decembris 1708., quodque ideò, & consequenter adjudicari sibi debeat possessio Statuum Quirræ, quos prætendit eidem Marchionatui, seù Baroniæ de Nulles aggregatos fuisse à Don Joachino Seniore in Testamento, sub quo decessit condito die 8. Januarij 1601. & quidem non obstantibus eidem Testamento, & immissioni deffectibus, qui à Deffensoribus dicti Ducis opponebantur tùm potestatis, tùm voluntatis; Potestatis scilicet eo quia prædictus Marchionatus, & Status Quirræ, utpotè triplici iam subiectus Majoratuum vinculo Feudi nimirùm, dignitatis Comitalis, & tandem Fideicommissi iniuncti à Domna Violante de Carroz illius Domina, iterum à dicto D. Ioachino Seniore diverso Majoratui vinculari non potuerit; Voluntatis verò, quia tametsi dictus D. Joachinus de eodem Marchionatu testari potuisset, non ideò tamen voluerit prætensam à Marchione Don Josepho Catalá aggregationem realem dicti Status Marchionatui, seù Baroniæ de Nulles, neque perpetuum, & indeffinitum Fideicommissum disposuerit favore omnium in futurum Successorum, seù Possessorum Baroniæ prædictæ, sed ad summum favore illorum Successorum dictæ Baroniæ, & Domus de Nulles, qui essent de sua agnatione, & sui generi D. Christophari de Centelles.

Tertiò deniquè, utrum præfatæ immissioni obstent deducta, ac proposita die 18. Junij anni 1717. per Domnam Cajetanam de Omns Marchionissam de Moya, quæ pendente judicio inter præfatum Ducem, & Don Josephum Catalá comparuit coram Supremo Consilio allegando ob decessum Don Raymundi de Omns sibi uti eius hæredi apertam fuisse successionem super medietatem dicti Status de Quirra, quam Domna Alemanda Carroz filia dicti Don Ioachini ultimi Comitis de Quirra reliquerât Don Raymondo de Omns, & alijs successivè substitutis in suo Testamento condito die 26. Julij 1607., & petijt declarari se esse Dominam, & legitimam Succeditricem in proprietate medietatis dicti Status de Quirra cum fructibus à die purificatæ conditionis favore eius Antecessorum, quia ex Testamento dictæ Domnæ Violantis secundæ, vocata erat Domna Alemanda ad Majoratum, seù Fideicommissum ab ea institutum, atque idcircò cum

potue-

potuerit dicta Domna Alemanda testare de dicto Statu Quirræ, obstet propterea immissioni ut supra petitæ à Marchione de Nulles deffectus potestatis in dicto Don Joachino Primo ad disponendum de prædicto Statu tam ratione Testamenti dictæ Domnæ Violantis, quàm quia virtute Capitulorum Matrimonialium diei 11. mensis Febbruarij anni 1589. occasione Matrimonij contracti à dicta Domna Alemanda cum Don Christopharo de Centelles, Don Joachinus eius Pater ei donaverit inter vivos dictum Comitatum cum facultate disponendi in eventum, quo supervixisset eidem Patri donanti, quodque propterea cum evenerit dictus casus, non potuerit posteà dictus Don Ioachinus illi prejudicare disponendo diversimodè in suo Testamento.

Licèt autem initio præsentis Causæ actum solummodo fuerit de revocatione prædictæ Sententiæ Sardiniæ, nec proposuerit Don Oggerius Catalá Pater dicti Marchionis de Nulles Judicium immissionis in possessionem dicti Marchionatus de Quirrà, quin immò expresse semper protestatus fuerit nolle tractare nisi de nullitate possessionis apprehensæ per Ducem, & de concessione petiti Sequestri, nihilominus cum Partes in progressu litis articulos, & deductiones concernentes merita Causæ proposuerint tàm in scriptis, quàm in voce, exhibendo, & allegando Instrumenta, & rationes; quarum ope quælibet Pars jura sua confovebat, vel super immissione noviter petita in Supremo Consilio per dictum Marchionem de Nulles, vel super defectibus oppositis à Duce prætensæ aggregationi Marchionatus de Quirræ, vel etiam super insubsistentia dictæ aggregationis ex causa allegata à Marchionissa de Moya, ut apparet ex pluribus Schedulis, quæ reperiuntur in voluminibus Processus præsentis Causę, & signanter circa prætensiones excitatas inter dictum Ducem, & dictum Marchionem de Nulles in Schedulis porrectis diebus 13. Julij 1691., & 17. Junij 1692., 10. Junij 1709., 13. Octobris 1718., & alijs, & circa prætensiones Marchionissæ de Moya in Schedulis oblatis diebus 25. Iulij 1717., 15. Iunij 1718., & 18. eiusdem mensis, & anni, & alijs compluribus, propterea iam pro certo constat præsens Judicium non esse simpliciter summarium, & super sola revocatione, vel confirmatione prædictæ Sententiæ Sardiniæ, sed esse Judicium possessorium plenarium; attentis præsertim deductionibus prædictis hincinde ab omnibus

inte-

intereſſe habentibus factis ſuper dictis Articulis ab eis ſuſcitatis, nec non ratione connexionis cauſarum, & voluntatis Partium iuriſdictionem huius Supremi Conſilij implorantium, ac prorogantium, ac demùm ex pluribus Decretis Supremi Conſilij Aragonum, & huius Supremi in eius locum ſuffecti pro dicto Sardiniæ Regno; Ex quibus præfatorum Articulorum omnium cognitio, diſcuſſio, atque deciſio, iam radicata eſt in hoc Supremo Conſilio.

Neque huic veritati moram facit conſideratio, quod prædictus Articulus immiſſionis non poterat introduci in Supremo Conſilio à prædicto D. Ioſepho Català Marchione de Nulles, eo quia antea fuerit propoſitus per eius Patrem D. Oggerium Català in Regia Audientia Sardiniæ, etenim nec ibi fuit conteſtatus, nec concluſus, & quælibet inſtantia ibidem propoſita intercepta remanſit ob inhibitionem factam à Supremo Aragonum Conſilio in literis obtentis ad inſtantiam dicti Ducis, præfatæ Regiæ Audientiæ dirrectis, de non ſe ingerendo in huiuſmodi cognitione, ſed de remittendis Partibus ad Supremum, cum literis inhibitorijs expeditis die 11. Aprilis 1699., & quamvis Don Oggerius inſtiterit pro revocatione, ſeu modificatione dictarum inhibitionis literarum, nunquam fuit illi conceſſa, contradicente potiſſimum Duce, qui ſemper excepit cognoſcendum eſſe de dicto immiſſionis Articulo in Supremo Conſilio, eo quod haberet connexionem cum articulo nullitatis aggregationis, cuius cognitio radicata erat in dicto Supremo, & ab eo reſervatus ad merita definitive, quamobrem rectè potuit dictus Marchio de Nulles filius D. Oggerij poſt obtentam anno 1708. Sententiam confirmatoriam pro Statu de Nulles, non curatâ inſtantiâ propoſitâ ab eius Patre in Regno Sardiniæ recedere ab ea, & petere immiſſionem coram Supremo 10. Iunij 1709. . Maximè verò, dum contradicente Duce conteſtationem dicti novi Articuli immiſſionis die 29. Iulij 1709. fuit proviſum per dictum Supremum Conſilium, quod Dux directè reſponderet immiſſionis inſtantiæ, propoſitæ à dicto Marchione de Nulles, dicta die 10. Iunij eiuſdem anni.

Hijs igitur præhabitis, quoad primum Articulum conſtat non debere revocari prædictam Sardiniæ Sententiam, ex Actis factis coram ea, quia attento Statu, in quo fuit prolata, fuit iuri conformis, etenim licet bona, de quibus

bus dispoſuit ultimus poſſeſſor Marchionatus de Quirra, favore Ducis Gandiæ, fuiſſent vinculo Fideicommiſſi ſubiecta, quoties tamen adverſantes D. Oggerius Català, & Valeriola, & D. Antonius Ioannes de Centelles, non edocebant de Fideicommiſſo claro, & eveniſſe ad eorum favorem caſum vocationis, quin immò, nec auſi fuerint proponere immiſſionem ex capite prætenſi Fideicommiſſi, certum eſt eos tunc temporis non fuiſſe legitimos contradictores ad impediendam poſſeſſionis immiſſionem dicto Duci, qui uti hæres ſcriptus in Teſtamento non cancellato, nec vitiato, fundatam habebat intentionem, quoad poſſeſſionem in diſpoſitione *Text. in l. fin. C. de Edict. D. Adr. toll.*; & maximè cum eorum ius veniret dependenter à propoſita aggregatione Status de Quirra, Baroniæ de Nulles, facta à Comite D. Ioachino in ſupra relato eius Teſtamento, & priùs tenerentur in competenti iudicio edocere de eorum bono iure ad Baroniam de Nulles, quæ omnia requirebant altiorem indaginem, & non poterant retardare immiſſionem dicto Duci, cum ſit regula, quod comparens, quando non exibet titulum potentiorem, aut parem non debet audiri ad impediendam immiſſionem hæredi ſcripto, quia tunc non eſt legitimus contradictor, quamvis opponat exceptionem, quod ultimus defunctus non potuiſſet teſtari, maximè ubi ſimilis aſſertio requirit altiorem indaginem, & bona poſſint etiam multis de cauſis detineri ab hærede quamvis vinculata, & de Maioratu.

Nec obſtat alia nullitas inſinuata à Don Oggerio, nempè quod prædictus Dux receſſerit ab immiſſione petita in primo Iudicio, ideoque non potuerit Regia Audientia concedere immiſſionem, quia hæc exceptio remanet reprobata ex inſpectione ipſorum Actorum, ex quibus reſultat eumdem Ducem in ea ſemper inſtitiſſe uſque ad ultimam ſchedulam, præſentatam ante prolationem Sententiæ.

Non obſtat denique, quod non potuerit Regia Audientia concedere Duci immiſſionem, antequam eſſet purgatum attentatum poſſeſſionis, quam Dux appræhendit pendente inibitione Regiæ Audientiæ, illudque non potuerit alia forma purgari, niſi pręcedente ſequeſtro Status Quirræ, antequam dicto Duci concederetur immiſſio, nam cum pro parte Ducis non adfuerit contemptus, quia non habuit ſcientiam prædictæ inibitionis, ſed ſolum pro

parte

parte Ministrorum, & Vassallorum, ut satisfieret Majestati Tribunalis, à quo emanavit inibitio prædicta, voluit tantùm in prima eiusdem Sententię parte Regia Audientia pro attentatorum purgatione possessionem à Duce iam apprænensam revocare, & eum condemnare in expensis huius articuli, cum pariter non constaret de culpa in Duce, & iste clarè, & incontinenti edocuerit de suo bono jure ad possessionem, neglectâ aliâ maiori formalitate, & circuitu, pronunciavit dandam esse ei immissionem, præcipuè verò non interveniente legitimo contradictore, proptereaque indubitatum est eamdem Sententiam ex Actis factis in Regia Audientia, & ex statu, in quo fuit prolata, non esse revocandam; Verumtamen quia ex noviter deductis in hac secunda instantia, & judicio possessorio plenario, in quo Partes voluerunt se ingerere, apparet de legitimo contradictore habente titulum potiorem illo hæredis, constat esse reparandam, ut inferiùs.

Quoad secundum verò Articulum, an scilicet deffectus potestatis, & voluntatis oppositi à dicto Duce obstare possint in hoc judicio plenario per Marchionem de Nulles, satis dignoscitur, præfatos defectus minimè posse impedire prædictam immissionem; Quod enim dicebatur de qualitate feudali, vel Majoratu deducto ex Titulo Comitali, nullam videtur mereri discussionem, posteaquam Diplomate Regis D. Ferdinandi Catolici dato die 8. Novembris 1504. constat amplissimis verbis, suppressâ priori naturâ, & qualitate Feudi, effecta fuisse Loca, & Comitatum Quirræ alodialia, libera, & omninò disponibilia, cuius quidem Diplomatis auctoritate utraque Partium litigantium nititur, neque præsentis Iudicij esset de illius validitate, & perpetuitate quæstionem facere, cum natura Partium de hoc disputare putaverit, sibique obstet Sententia lata in Supremo Aragonum Consilio die 2. Ianuarij 1520., igitur prætermissâ etiam forti replicatione, quod ubi fortassis hucusque vigeret primęva natura Feudi, & dignitatis illi annexa, adhuc tamen Dux Gandiæ nullum jus ab hac eadem qualitate metiri posset, quippè quia uti descendens à Femina ad Feuda juxtà morem Italiæ ab initio concessa, succedere non valeret; nihil profectò de hac oppositione, & potestatis defectu ex hoc Capite curandum esse apparet.

Nec etiam obstare visus fuit defectus Potestatis deductus ex Testamento Domnæ Violantis condito die 18. Iunii 1504. quia

quia licèt per lineam transversalem dictus Dux descendat ex sanguine de Carroz, nihilominus ex lectura præcitati Testamenti dictæ secundæ Domnæ Violantis Carroz apertè liquet, dictum Majoratum non esse perpetuum, indefinitum, & universalem pro tota Familia, sed solummodò temporalem, limitatum, & restrictum ad tres gradus suorum Nepotum, & Filiorum Domnæ Toddæ Carroz suæ Sororis, nempè D. Gulielmi, D. Iacobi, & D. Seraphini, eorumque descendentium masculorum, & ad alios duos gradus scilicet D. Petri Sanchez Centelles, & D. Michaelis de Urrea filij Comitis de Aranda, quibus ultimis liberam facultatem tribuit; Quamobrem cum præfatus Dux non descendat à Personis vocatis, & substitutis à prædicta Domna Violante, procul dubio caret actione, ideòque patet esse superfluas, & impertinentes probationes ab eo petitas super sua Geneologia, minimèque obstare tres præcitatos defectus potestatis oppositos à dicto Duce contra Testamentum D. Ioachini Primi ad impediendam immissionem petitam à dicto Marchione de Nulles.

Nec pariter obstat immissioni petitæ per dictum Marchionem de Nulles iam allegatus defectus voluntatis noviter excitatus pro parte Ducis, scilicet non adesse in Testamento Don Ioachini Primi aliquam aggregationem, & præsertim realem, nec perpetuum Fideicommissum universale, sed solùm restrictum ad favorem sui Generi Marchionis Don Christophori de Centelles, eiusque Familiæ agnatitiæ, quia licèt non adsit aggregatio realis de re rei, cum nulla fuerit facta mentio in dispositione dicti Don Ioachini, nec de Testamento Don Giliberti, nec de eius Majoratu, nec de aggregatione Statuum Quirræ ad Statum de Nulles subjectivè, & accessoriè, nec hęreditas Don Ioachini fuerit aggregata Majoratui Don Gillaberti, sed solùm favore Personarum institutarum à Don Ioachino, scilicet omnium successorum ad Marchionatum de Nulles, fuerit ab eo dispositum in suo Testamento, ut deficientibus primis institutis, Dominus, & Possessor Status de Nulles esset pariter Successor in Statu Quirræ, & in reliquis bonis suæ hæreditatis, injungendo suo Successori substituto onus non separandi dictos Status, nihilominùs adest Fideicommissum universale, & perpetuum favore omnium successorum de Nulles, ut evidentèr resultat ex contextu totius

clau-

clausulæ substitutionis factæ in dicto Testamento, ubi loquendo de deficientia præcedenter vocatorum, dicitur *A ells y al ultim de ells axi morint, a nos hereu instituhint lo que será perpetuament Señor, y Possessor de la Casa, y Baronia de Nulles en lo Regne de Valencia, de la qual Casa no se puguen nostres Estats en manera alquna separar &c.*, ex quibus verbis clarè patet, quod eum fuerit substitutus is, qui pro tempore erit perpetuò Dominus, & Possessor de Nulles, debet dici vocatus unus post alium per Fideicommissum successivum, & perpetuum, quia est substitutio fideicommissaria, & Majoratus, qui de sui natura ad infinitatem temporis, & ad multitudinem Personarum gradatim vocatarum refferri debet, maximè cum sit facta substitutio indefinitè, & nomine appellativo, & concurrente qualitate conspicuâ subiectæ rei, & agatur de magno Comitatu, nunc Marchionatu Quirræ, ex qua inducitur faciliùs voluntas Fideicommissi perpetui constituendi.

Quibus additur ità fuisse intellectam dispositionem hanc, & expresè admissam ab ipsismet primis hæredibus dicti Comitis Don Ioachini, etenim Don Christophorus in suis juratis responsionibus, & judicialiter editis in Causa cum Domna Mariana de Pinoz confessus fuit dictum Comitem Don Ioachinum constituisse successorem in Marchionatu Quirræ, & Comitatu de Centelles post mortem suæ filiæ Domnæ Alemandæ illum, qui tunc erat, vel pro tempore futurus esset successor in Statu de Nulles, ipsumque Don Christophorum fuisse talem tempore mortis Domnæ Alemandæ, & esse de præsenti, & uti talem post mortem suæ Uxoris Domnæ Alemandæ acceptasse dictam successionem, accipiendo possessionem præfati Status de Quirra; Ex quibus verbis, eo signanter ex illis, qui *pro tempore fuisset*, evincitur clarè ordo successivus, & progressivus in omnibus Successoribus de Nulles.

Et Don Ioachinus ultimus Marchio de Quirra Filius dicti Don Christophori verbis adhuc claris approbavit, prædictam veram intelligentiam perpetui, & progressivi Fideicommissi in omnibus Successoribus de Nulles, nam in suis Capitulis Matrimonialibus 3. Maij 1636. affirmavit expresè, quod respectu Status Sardiniæ deberent observari vincula apposita in Testamento Don Ioachini Carroz de Centelles Comitis de Quirra, in quo disposuit, quod in Statu Sardiniæ succederet, tàm in casu, qui

iam

iam erat sequutus, quàm in perpetuum, ille, qui fuisset Dominus, & Possessor Oppidi de Nulles; Quamobrem si in perpetuum ex confessione dicti ultimi Possessoris, cuius est hæres præfatus Dux, fuit dispositum à Comite D. Ioachino, quod succederet ille, qui esset Dominus, & Possessor Oppidi de Nulles, est indubitatum adesse favore omnium Dominorum, & Possessorum de Nulles gradatim perpetuum, & progressivum Fideicommissum.

Quin obstent opposita à Duce dictis confessionibus, nempè quod remanent reprobatæ non solùm per alias confessiones contrarias posteriores, sed etiam quia ambo disposuerunt in suis Testamentis ad favorem aliarum Personarum, nullâ factâ mentione Successorum de Nulles, ac prætereà confessio Don Ioachini ultimi in dictis Capitulis Matrimonialibus edita fuerint ab illius Curatore, dum ipse erat in minori ætate, nam istæ objectiones sunt parvi ponderis, tùm quia nullibi reperiuntur expresè revocatæ primæ confessiones ab eis factæ, quod nimirum successerint in dicto Statu de Quirra, uti Domini de Nulles, *qui debebant semper, & in perpetuum succedere in Statu Quirræ virtute vocationis, & substitutionis factæ à Comite D. Ioachino in suo Testamento*. Nec unquam ultimus Marchio Dominus Ioachinus etiam postquam fuit major factus reclamavit à confessione facta in dictis Capitulis Matrimonialibus; tùm etiam quia non poterant revocari, quia non solùm non erant erroneæ, sed factæ juxtà mentem, & expressam voluntatem Testatoris, cui in præjudicium Successorum per contrarias confessiones derrogari non poterat.

Nec etiam obstant allegata pro parte Ducis, nempè quod dicta substitutio perpetua debeat solùm intelligi restricta ad lineam masculinam agnatitiam descendentem à prædicto D. Christophoro, eò quod prædicta substitutio fuerit facta ad ejus contemplationem, & conservationem suæ veræ agnationis, & non ad alium finem, quia licèt verum sit ultimum Comitem D. Joachinum voluisse in suo Testamento primo favere suæ agnationi de Centelles, quia hoc ipso intuitu conservandi Familiam de Centelles collocavit cum eo in matrimonium suam Filiam Domnam Alemandam, prout resultat ex tenore Capitulorum matrimonialium anni 1589., non tamen prædictus Testator se restrixit in dicta substitutione ad favorem solummodò sui Generi, & ejus agnatitiæ descendentiæ, neque, extinctâ ista, excludit alios Dominos, & Possessores de Nulles, imò claré ex sua testamentaria dispositione

tione infertur contrarium, cum indefinitè, & nomine appellativo vocaverit per ſubſtitutionem perpetuam fideicommiſſariam illum, qui erit Dominus, & Poſſeſſor perpetuò de Nulles, nullo verbo facto, nullaque expreſſione de perſona D. Chriſtophori, nec de ejus agnatitia deſcendentia in prædicta vocatione, & ſubſtitutione; quamobrem non poteſt induci reſtrictio ad particularem lineam, & deſcendentiam ſui Generi, cum prædicta vocatio indefinitè facta juxtà naturalem ſenſum verborum comprehendat non unam, ſed plures lineas, & omnes, & quoſcumque Succeſſores, & Dominos Baroniæ de Nulles, & reverà tantùm abeſt, quod ſolam agnationem ſui Generi contemplatus fuerit in hoc ſuo Teſtamento, ut imò non ſolùm de ſuo Genero mentionem ullam non fecerit in hiſce ſubſtitutionibus, nec de illius filiis, ſed prætereà conſtat in conditione poſuiſſe, & ideo vocaſſe filios Alemandæ, non eos quidem dumtaxat, quos habitura fuiſſet ex hoc matrimonio, ſed omnes indiſtinctè, adeòut filii alterius Thori, ſi caſus eveniſſet in ea diſpoſitione, comprehenderentur, quod ſi Teſtator voluiſſet ſe reſtringere ad ſolum Don Chriſtophorum, & ejus deſcendentes agnatos, hoc fuiſſet ab eo expreſſum in ſuo Teſtamento, quia tendebat ad expreſſionem ſubſtantiæ, & finis ſuæ diſpoſitionis, prout nec ommiſiſſent primi illius hæredes expreſſionem tanti ponderis deducere in ſuis prædictis confeſſionibus, in quibus affirmarunt, quod in Statu Quirræ ſuccedebat perpetuò, & ſemper qui eſſet Dominus, & Poſſeſſor de Nulles; nullâ factâ reſtrictione ad ipſorum agnationem, quæ quidem expreſſio fuiſſet ſibi ipſis valdè favorabilis.

Quibus additur, quod cum etiam Succeſſores de Nulles ficti, & artificiales, extinctis veris agnatis teneantur renovare, & propagare Nomen, Cognomen, & Arma de Centelles pro conſervatione ſuæ agnationis, & prædictus ultimus Comes Don Joachinus, ut infertur ex dictis capitulis matrimonialibus anni 1589. præmaximè cuperet conſervationem nominis iſtius Familiæ, quæ erat ſua propria, eſt præſumptio fortiſſima, quod voluerit vocare extinctâ Familiâ dicti ſui Generi, & omni deſcendentiâ agnatitiâ, quoſcumque Succeſſores de Nulles, per quos ſemper conſervabatur dicta Familia de Centelles ſaltem fictè, & artificialiter.

Nec valet dici, quod prædictus Comes D. Joachinus ignoraſſet formam ſuccedendi ad Majoratum de Nulles, quia nec conſtat de dicta ignorantia, & licèt illa admitti poſſet reſpectu ſcientiæ ſingulorum capitulorum Teſtamenti Don Gilaberti, eſt

est tamen conjectura, seù præsumptio multùm regularis, quod sciret in genere, Successores de Nulles tàm veros agnatos, quàm fictos, & artificiales esse semper adstrictos ad portandum, & renovandum Nomen, Cognomen, & Arma de Centelles pro perpetua conservatione dictæ Familiæ, quæ scientia inducitur, tùm ex eo quod ipse Testator erat de eadem Familia, tùm etiam, quia nuptui dederat suam filiam Domnam Alemandam dicto Don Christophoro Centelles, qui etiam nuperimè successerat in Marchionatu de Nulles in executionem Sententiæ latæ à Regia Audientia Valentiæ cum votis Supremi Aragonum Consilii die 11. Maij 1581. integrè fundata super Majoratu prædicti Marchionatus erecto à D.Gilaberto deCentelles in suoTestamento die 14.Novemb. 1365.

Quin obstet obiectio facta pro parte Ducis ratione incompatibilitatis Nominis, Cognominis, & Armorum de Centelles sine mixtura volitorum à dicto Don Giliberto, cùm volitis à Comite Don Joachino nempè Cognominis, & Armorum de Carroz, & Centelles sine mixtura; hujusmodi enim obiectioni satisfacit responsio; quod Cognomen, & Arma Don Joachini pariter essent de Centelles; & quamvis addiderit ipse Cognomentum de Carroz, hoc non præfert aliquam repugnantiam, nam licèt primus Testator Don Gilibertus constituerit suum Majoratum, & fideicommissum de Nulles cum prępcepto portandi ejus Nomen, Cognomen, & Arma sine mixtura, non tamen imposuit Successoribus insignia sivè cognomina addentibus pœnam caducitatis, sivè privationis suæ hæreditatis, sed solùm disposuit, quod si fortè hæredes instituti noluissent portare Nomen, & Arma dictæ Familiæ, rediret sua hæreditas alteri hæredi, qui pariter deferret dictum Nomen, Cognomen, & Arma: Quamobrem non sine ratione, ac prudentia præsumendum est, quod si prędvidisset Præfatus Don Gilabertus, Possessoribus, & Successoribus sui Majoratus superventurum novum Majoratum, illumque pinguiorem, atque splendidiorem, consulendo suæ Familiæ decori præ omnibus exoptato, ac præ occulis habito, potiùs voluisset reiicere conditionem deferrendi Cognomentum, & Arma sine mixtura, quàm quod sui Successores absque ulla eorum culpa nedùm majori splendore, sed & majori commodo, & utilitate destituti remanerent, quod quidem nullâ juris ratione, & equitate admittendum est, cum explorati juris sit, nusquam Testatoris voluntati derogatum iri, cum, quod ab eo dispositum est, in melius reducitur, &

con-

convertitur; non enim in hac hypothesi voluntas Testatoris contemni dicitur, sed quod ab ipso dispositum est justâ suadente ratione, diverso meliorique modo observatur, ac menti ejusdem Testatoris potiùs quam verborum cortici morem gerendo, pleniùs adimpletur.

Quod quidem corroboratum est per observantiam subsequutam post mortem Comitis D. Joachini tàm in suo primo hærede D. Christophoro, quàm in ultimo D. Joachino istius filio, cum uterque se vocaverit de Carroz, & Centelles ut constat apud acta in quamplurimis scripturis, quin fuerit eis unquam opposita alicujus ratio incompatibilitatis, ex qua quidem observantia excluditur prædicta incompatibilitas, & perplexitas oriens ex verbis dictorum Testatorum in eorum Testamentis, & interpretatio sumitur verisimilis mentis primi Testatoris; præsertim cum notoriè, & apertè constet, Marchionatum de Quirra multò majorem, ac splendidiorem esse ipso Marchionatu de Nulles.

Ex quibus omnibus procul dubio patet non constare de aggregatione merè reali, constare tamen de aggregatione per modum fideicommissariæ substitutionis perpetuæ, & progressivæ favore illorum omnium, qui gradatim succedere debent in Statu de Nulles ex titulo, & jure legitimo, quia omnes isti quoque succedere debent in Statu de Quirra cum onere non separandi dictos Status pro majori Familiæ splendore.

Quoad tertium verò articulum, an dictæ immissioni petitæ à Marchione de Nulles obstet defectus potestatis ex causis propositis per Marchionissam de Moya, notoriè constat, non afferre impedimentum prędictæ immissioni prętentionem dictę Marchionissę, non solùm quia huc usque ista non legitimavit suam personam, nec probavit se esse talem qualem se fecit, & verè evenisse casum suę vocationis pro medietate Status Quirrę, quam prętendit, prout ex actis apertissimè evincitur, sed etiam quia dicta Domna Alemanda Carroz, à qua demanat suum jus, non solùm non est vocata ad successionem Domnę Violantis secundę in suo Testamento, sed nec etiam est posita in conditione.

Cum apertè constet ex littera Testamenti dictę Domnę Violantis, quod solùm fecit, & vocavit hęredes tres suos Nepotes masculos filios suę sororis Domnę Todæ eos nominando per eorum propria nomina, nullaque facta mentione alicujus fœminę, & signanter in ea clausula Testamenti, in qua adest vocatio D. Seraphini, qui est unus ex tribus Nepotibus institutis, à quo descendit dicta Domna Alemanda; in hac

enim

enim clausula expressè sunt vocati filii masculi, & nunquam positi in conditione, neque in vocatione filiæ fœminę, imò post mortem dicti D. Seraphini absque filiis masculis, & aliorum duorum Nepotum, nempè D. Gulielmi, & D. Jacobi, non vocat alios de sua Familia, sivè proximiores, nec aliam specialem dispositionem edidit, per quam tacitè, sivè expressè consultum dici possit, vel proximioribus, vel ex fœminina linea descendentibus, sed deficientibus masculis, immediatè transit ad alios duos gradus, nempè Don Petri Sanchez Centelles, & D. Michaelis de Urrea filii Comitis de Aranda, concedendo hisce postremis Successoribus liberam facultatem disponendi.

Quin obstet allegatio facta pro parte dictę Marchionissę, nempè quod in dicta clausula comprehensa dici debeat prefata Domna Alemanda, eò quod vocatio dictorum Sanchez, & de Urrea fuit facta in casu, quo primi instituti decederent sine descendentibus, & quod hoc verbum *Descendentes* indefinitè, & indeterminatè prolatum sine qualificatione masculorum, comprehendat tàm masculos, quàm fœminas.

Quia hęc ponderatio non subsistit; nam prędicta clausula incipit per hęc verba: *& si omnes supradicti*, ex quibus satis intelligitur facta relatio ad descendentes, qui ultrà gradum Nepotum fuerunt pręcedenter vocati cum qualitate masculinitatis implicitâ, & explicitâ, & per consequens dictum verbum *Descendentes* pręferre non potest conditionem, nec vocationem descendentium, qui non sint masculi, cum relativum *supradicti* inducat repetitionem qualitatis masculinę appositę in pręcedenti substitutione. Pretereàque juxtà germanum sensum, & perfectum modum loquendi ex verbis, quibus reperitur composita dicta clausula, satis constat, eam loqui de descendentibus masculis, maximè quando institutio fuit facta solùm de Masculis, cum tunc qualitas masculinitatis apposita institutione censeatur in omnibus substitutionibus, & casibus sequentibus repetita, quia quando conditionalis est vaga, censentur positi in conditione, qui fuerunt positi in dispositione; prætereàque receptum quoque sit, & interpretata, & præsumpta comprehensione alicuius in parte conditionali, arguere non licere ad comprehensionem interpretativam in parte dispositiva; cum sola conditionalis clara valeat ad interpretandam vocationem dubiam, non verò è contra.

Nec

Nec obstat, quod Fideicommissum sit institutum à fęmina, quasi in ea hipothesi propter affectionem, quam Testatrix habet erga suum sexum, debeat elici coniectura, quod non censeantur exclusæ fęminæ, maximè cum non sit præsumendum voluisse Testatricem excludere fęminas descendentes à suis tribus Nepotibus, easque postponere alijs substitutis extraneis; Siquidem omnia prædicta procedere possunt, quando versamur in dubio, secus verò quando apparet de clara dispositione illorum, quos voluit vocare Testator, qui potest admittere quasdam Personas, & alios excludere, apponendo rebus suis Legem sibi benevisam, quo in casu ipsius voluntas est pręcisè observanda, cum verba clara non admittant quæstionem voluntatis.

Quod multò magis procedit quando Testatoris dispositio est discretiva, vocando videlicet masculos ad universalem hęreditatem, & fęminis Dotem relinquendo, vel quando Testator non vocavit fęminam sibi cognitam, iam natam, & proximiorem; Ex quibus coniecturis corroboratur exclusio aliarum fęminarum; quæ profectò omnia adamussim concurrunt in hac hipothesi; Nam dicta Domna Violantes in suo Testamento, quod reperitur in Vol. 9. Actorum fol. 40., legavit causa Dotis cuidam suæ Nepti iàm natæ, ac filiæ suæ sororis Domnæ Todæ quantitatem 8m. lib., quæ quidem Neptis erat etiam proximior Domna Alemanda, quæ non erat nata, & in remotiori gradu reperitur, & nihilominùs nullam de eadem Nepte facit postea mentionem in institutione, seu substitutione universali suæ hæreditatis (Signum evidens quod solum contemplata est nudam masculinitatem respectu dictorum suorum trium Nepotum, & descendentium masculorum, & aliorum duorum graduum D. Petri Sanchez, & filiorum Comitis de Aranda) non autem fęminas, neque vocatas, neque in conditione positas, quia limitata dispositio, limitatum producit effectum.

Et quod vocatio disposita à dicta Domna Violante, solum respiciat dictos tres eius Nepotes, & eorum descendentes masculos, sinè ulla comprehensione fęminarum, remanet corroboratum ex observantia, & confessionibus factis in Causa per dictam Marchionissam, & eius Auctores.

Primò enim fuit admissum à D. Berengario de Omns in iudicio

dicio, successionis ab eo petitæ, ad medietatem Status de Quirra, coram Regia Audientia Regni Sardiniæ, ubi proposuit sibi competere successionem ad præfatam medietatem ex Testamento Domnæ Alemandæ, eo quod ista testari potuerit vigore donationis inter vivos illi factę ab eius Patre D. Ioachino in Capitulis Matrimonialibus, quin fuerit allegatus alius titulus, & præcipuè successio eiusdem ex Maioratu dictæ Domnæ Violantis, quod non fuisset omissum, utpotè intentioni suæ favorabilius.

Secundò. Fuit pari modo admissum à dicta Marchionissa in sua prima petitione diei 28. Iulij 1717., ubi apertis verbis asserit, quod Comes Don Ioachinus fuit ultimus masculus ex vocatis à Domna Violante, & utendo facultate ab ipsa concessa, fecit donationem inter vivos dictę Domnæ Alemandæ.

Tertiò. Fuit admissum verbis expressis à D. Michaele Martì in sua petitione diei 15. Decembris 1715., quæ reperitur in Actis vol. 11. a fol. 91. usque ad 100., ubi absque hæsitatione firmiter asserit, Fideicommissum institutum à Domna Violante fuisse exclusivum fęminarum, tàm in primis vocationibus, quàm in alijs lineis substitutis, absque alia libertate disponendi, nisi in ultimo vocato, qui fuit Comes Don Ioachinus, qui testari poterat de dicto Statu Quirræ, prout cum effectu disposuit de eo favore suæ filiæ Domnæ Alemandæ, fatendo pariter in hac eadem petitione, esse caducatas omnes alias lineas substitutas à Domna Violante, quodque hac de causa dictus Don Ioachinus ultimus Comes, habuit dictam liberam facultatem disponendi de prefato Statu Quirræ; quę confessiones omninò afficiunt dictam Marchionissam, ac si essent ab ea factæ, cum ipsa reproducerit ad sui favorem in petitione 15. Iunij 1717., quæ reperitur in vol. 8. fol. 148., præfatam schedulam dicti Don Michaelis Martì.

Hiis accedat, quod in Causa Domnæ Marianæ de Pinos super tenuta bonorum D. Joachini primi contrà dictos Domnam Alemandam, & D. Christophorum numquam fuit per eos allegatum, quod Domna Alemanda fuisset vocata ad successionem Status Quirrę jure proprio, ex majoratu Domnæ Violantis, quod non fuisset omissum, cum ex hac una, omniumque potentissima ratione eradicata omninò fuisset prætensio Domnæ Mariannæ.

Minùs quoque subsistit prætensio dictæ Marchionissæ deducta

cta ex donatione dispofita in Capitulis Matrimonialibus anni 1589., quia cùm in primis Capitulis anni 1561. reservaverit fibi Comes D. Joachinus facultatem apponendi in rebus donatis quæcunque vincula, & conditiones ei benevifas in Teftamento, vel alias, & in fecundis Capitulis anni 1589. Confirmatoriis priorum adfit pactum reverfionis bonorum donatorum, vel ad ipfum donantem, fi viveret, vel ifto Defuncto, ad hæredem fuum quocumque modo nominandum, & virtute iftius pacti reverfivi fuerit à dicto Comite D. Joachino in fuo Teftamento nominatus hæres is, qui pro tempore foret Dominus, & poffeffor de Nulles in cafu deceffus Domnæ Alemandæ, aliorum prçcedenter inftitutorum fine Filiis, indubium eft, hoc pariter donationis fundamentum pçnitus corruere.

Quin obftet affertum dictæ Marchioniffæ nempè quod ratione Amphibologię, quę continetur in Claufula refervationis factę per dictum Comitem D. Joachinum in dictis Capitulis de anno 1589. non comprehendatur Status Quirrę, eo quod fub refiduo refervato ifte non veniat per confufionem dictę Claufulę, & eorum verborum, in quibus conceditur Domnę Alemandę facultas difponendi de omnibus bonis, & ex altera parte dicitur, quod refiduum redeat ad ipfum, vel ad fuum hęredem nominandum, ex qua verborum confufione, & perplexitate non poteft intelligi, quod comprehendi voluerit in facultate conceffa Domnę Alemandę deteftando, vel aliter difponendo, cumque propterea res fit omninò confufa, & dubia, debeat judicari pro exclufione Status Quirrę à prędicta refervatione.

Quia prędictum dubium eft imaginarium, & infubfiftens; nàm attentè legenti ftatim apparet, quod in facultate difponendi favore Domnę Alemandę folum effet quantitas librarum viginti millium, quam fibi refervavit Comes D. Joachinus ad fuam liberam difpofitionem in dictis Capitulis de anno 1589. adeò ut, iftis deductis, favore Domnę Alemandę, reliqua pars, tàm Ducatonorum quadraginta millium, quàm aliarum rerum reverti deberet ad donantem, vel ad fuum hęredem nominandum; Verba namque dictę Claufulę evidenter recipiunt fequentem verfionem, fcilicet, quod D. Alemanda poffit tùm defuper Ducatis 40m., cum defuper aliis rebus donatis difponere de libris 20m., reliquum verò iftis deductis, re-

vertatur

vertatur ad donatorem, sivè ejus hęredem, quę vera, & germana intelligentia est notoriè comprobata, in Sententia supremi Consilii Aragonum latà die 17. Julii 1615., quę transitum fecit in judicatum.

Pręterquàm si in dicto residuo non comprehendisset Status Quirrę, cęteraque sua bona hęreditaria, non apposuisset in Testamento gravamina, quę apposuit, signanter in dicto Statu Quirrę post mortem Domnę Alemandę sine Filiis, virtute reservationis sibi factę in dictis Capitulis Matrimonialibus anni 1561. apponendi illa vincula, & gravamina, quę sibi placuissent.

Nec obstat, quod dicta reservatio debeat intelligi restricta ad unicum actum, quia fuit dictum, vel per Testamentum, vel per alium quemlibet modum, & cùm jam dispositum fuisset inter vivos per D. Joachinum tempore Capitulorum Matrimonialium de anno 1589. apponendo nova pacta, & gravamina sibi benevisa, non potuerit posteà in Testamento apponere alia gravamina, & conditiones, quę non fuerunt appositę in dictis Capitulis.

Quia nedum dictum pactum deducitur ex ipsis Capitulis anni 1589., ut fuit supra dictum, verùm etiàm constat, quod in illis non fuit consumpta dicta reservatio, cum partes expresè convenerint, quod in casu decessus Domnę Alemandę sinè masculis, si non supervixisset dictus Comes Don Joachinus redirent bona donata ad ipsius hęredem, & successorem universalem, vel ad eos, quibus Comes D. Joachinus voluisset, & ordinasset verbo, vel in scripto, quamobrem extrà dubium est, quod non obstante dicta donatione permanebat adhuc reservatio dispositionis Don Joachini.

Neque demùm levis consideratio illa est, quod quantumvis etiàm Domnę Alemandę huc usque dicta pęnitus non obstarent, adhuc sua renunciatione escluderetur, cùm voluntariè renunciaverit juri suo, si quod ei competiisset, pręstando consensum proprio Patri, & acceptando donationis Confirmationem factę sub reservationibus, & pactis in illis contentis, omnia firmando cum juramento.

Nec est attendendum, quod talis consensus dicatur ei læsivus, tùm quia non apparet de læsione, nec quod ipsa vivens reclamaverit, nec impugnaverit dictum consensum præsertim in dicta donatione, nec Testamentum sui Patris posteà subsequutum; immò videtur, illum approbasse; tùm quia nihil de istis suis juribus allegavit in Cau-

 sa

ſa Domnę Mariannę de Pinos, tametſi validiora fuiſſent ad ellidendam iſtius prętentionem illis, quę fuerunt ab eá deducta in Cauſa.

Quin poſſit dici, quod non habuit notitiam dicti Teſtamenti, quia Auctores ipſius Domnæ Cajetanæ expreſsè faſſi ſunt, quod Domna Allemanda habebat notitiam, & cognitionem Teſtamenti ſui Patris, ut legitur in Schedula Don Berengarij de Omns in lite, quam habuit in Sardinia cum dicto Marchione Don Ioachino 2. ſuper hac eadem prætenſione, quæ reperitur in Actis vol. 13. fol. 76., & eadem ſcientia, & notitia deducitur ex Teſtamento ipſius Domnæ Allemandæ, in quo facit mentionem de multis legatis factis à ſuo Patre in ejus Teſtamento, præcipiendo quod ſolvantur juxta tenorem Teſtamenti dicti ſui Patris, & per conſequens defectus poteſtatis oppoſitæ à dicta Marchioniſſa non poſſunt obſtare immiſſioni petitæ per Marchionem de Nulles, & ipſa venit omninò repellenda à Iudicio, quia caret actione.

Ceſſantibus igitur omnibus defectibus poteſtatis, & voluntatis oppoſitis à dictis Duce de Gandia, & Marchioniſſa de Moya immiſſioni petitæ per Marchionem de Nulles, non videtur iſtam eſſe ei denegandam, quia juxtà præſentem Iuſtitiam munitus eſt ſufficienti titulo dominij, & poſſeſſionis Marchionatus de Nulles per binas Sententias, quæ fecerunt tranſitum in Iudicatum, & habuerunt ſuum effectum, cum ex Actis reſultet reperiri dictum Marchionem in actuali poſſeſſione Status de Nulles; Quamobrem cum habeat iſtam qualitatem ad ſuccedendum in Statu Quirræ unicè deſideratam ex Teſtamento, & Fideicommiſſo perpetuo dicti Comitis Don Ioachini, & conſtet de exiſtentia Fideicommiſſi, & eveniſſe caſum ſuæ vocationis, & quod dictus Comes Don Ioachinus poſſideret tempore ſuæ mortis dictum Statum Quirræ, nec non tempore conditi Teſtamenti, & nominationis hæredum, & ſubſtitutorum cum appoſitione gravaminum, & vinculorum, quæ voluit, indubitatum eſt, competere ei dictam immiſſionem.

Quin obſtet, quod præfatus Status poſſideretur à dicto Don Ioachino nomine ſuæ Filiæ Domnæ Alemandæ virtute clauſularum conſtituti, & aliarum, quæ fuerunt appoſitæ in donatione facta in Capitulis Matrimonialibus Anni 1589., quia pariter poſſidebat ex conſenſu ipſius Domnæ Alemandæ cum pactis reſervatis nominandi alios hæredes,

& apponendi vincula, & proindè licèt quoad alios effectus possideret nomine Domnæ Alemandæ, ne scilicet posset ei præjudicare sequuta sua morte in possessione, quam Domina Alemanda debebat habere; quoad istum nihilominus effectum virtute pactorum reservatorum nominandi alios hæredes, erat ipse verus Possessor; quamobrem sequuta ipsius morte, primo transferebatur possessio in suam Filiam, & ea postea decedente sine Filijs, in alios hæredes nominatos, quia juxtà pacta conventa ab eo possidebantur cum istis conditionibus.

Nec etiam obstat aliud argumentum allegatum pro parte Ducis, quod scilicet hucusque non habeat dictus Marchio qualitatem Domini de Nulles, sed solummodò meri Possessoris; quantumvis à Testatore requiratur, quod sit Dominus, & Possessor perpetuus, quodque hoc patet ex ipsis Sententijs die 31. mensis Maij 1695., & 15. Septembris 1708., quæ non complectuntur Judicium proprietatis, sed simpliciter illud immissionis revocabilis per Sententiam in Iudicio proprietatis, in quo fuit reservatum jus dicto Duci, cui debet adjudicari Status de Nulles, ut facilè dignosci posse, ait, ab hoc Supremo Consilio delibando Testamentariam dispositionem D. Gilaberti de Centelles, per quam est ipse Dux immittendus in possessionem Marchionatus de Nulles prælativè quoad Don Iosephum Català ejus actualem Marchionem; & quod in consequentiam sit pro nunc deneganda, vel saltem suspendenda immissio Statuum Quirræ favore dicti Marchionis de Nulles; præsertim verò quia Processus proprietatis reperitur jam instructus, & conclusus, & brevi speratur Sententia proferenda in Regia Audientia Valentiæ.

Quia licèt prædictæ binæ Sententiæ, in quibus se fundat Marchio de Nulles, concludant, dandam esse immissionem, tamen cum tàm dictus Dux, quàm prædictus D. Iosephus Català, sive ejus Pater Don Oggerius prætenderent, se esse vocatos ex eodem Testamento, & alterum alteri præferendum, declaratusque fuerit dictus Don Iosephus, sive ejus Pater immediatus successor dicti Majoratus de Nulles cum cognitione omnium jurium, & fundamentorum, quæ fuerunt deducta ab omnibus interesse habentibus, & prælativè ad eos, repellendo eorum instantias, & declarando esse immittendum in possessionem Oppidorum de Nulles, cum jurisdictione, & juribus ad Dominum pertinentibus, & resultat ex tenore dictarum

Sen-

Sententiarm, evidens eſt, quod non ſint iſtæ prolatæ in Iudicio merè poſſeſſorio, & ſummariſſimo immiſſionis, ſed in Iudicio poſſeſſorio habente annexum cauſam proprietatis, cum fuerit cognitum, & deciſum, uter ipſorum litigantium vocatus eſſet, ad hoc ut ei concedi poſſet immiſſio, & per conſequens prædictæ declarationes præferunt ſaltem implicitè declarationem dominij Domus, & Baroniæ de Nulles, præcipuè verò quia immiſſio non fuit ei conceſſa tamquam mero Poſſeſſori, ſed veluti immediato ſucceſſori.

Nec etiam obſtat alia ponderatio facta pro parte Ducis, quod nempè Marchio de Nulles ſit Dominus revocabiliter attenta reſervatione Iudicij proprietatis; quia in jure non deſinit interim eſſe Dominus is, qui jure dominij revocabilis poſſidet, quamvis enim habeat titulum reſolubilem donec aliter contingat judicari, dicitur Dominus plenus, & pleno jure poſſidet.

Nec etiam obſtat altera objectio, quod nempè Teſtator D. Ioachinus per verbum perpetuo ab eo appoſitum oſtendere voluerit ſe loqui de Domino, & Poſſeſſore ad vitam ſuam irrevocabili: Nam præterquamquod dictum verbum juxtà ſenſum Teſtatoris reſultantem ex contextu totius clauſulæ hæreditariæ, & ſubſtitutionis ab eo diſpoſitæ non fuit poſitum ad dictum finem, ſed ad denotandum quod intendebat facere Fideicommiſſum perpetuum Statuum Quirræ favore Poſſeſſorum de Nulles, adhuc etiam ſi poſſet intelligi de Domino, & Poſſeſſore, cum iſte numquam poſſit dari perpetuus, debet intelligi de illo, qui reperitur Poſſeſſor ex titulo habili, legitimo, & ſufficienti ad ſuccedendum ſua vita durante ad excluſionem illorum Poſſeſſorum, qui poſſiderent titulo tenutæ pignoris, & ſimilium, quamobrem ratione titulorum, quorum virtute fuit declaratus immediatus ſucceſſor, debet haberi dictus Don Ioſephus pro vero Domino, & Poſſeſſore Status de Nulles, eumque uti talis habeatur, debet ei quoque dari immiſſio Status Quirræ, maximè cum in præſentiarum titulus, cum quo poſſidebat præfatus Dux, ſcilicet uti hæres ſcriptus in Teſtamento ultimi Poſſeſſoris ſit redactus ad non titulum, quia eſt jam poſitum in comperto clarè, & notoriè ceſſaſſe dictum titulum, & eſſe prædictum Statum Quirræ vinculatum favore ſucceſſorum de Nulles, magiſque etiam cum pari modo dictus Dux prætendat ſe eſſe vocatum ad dictum Statum Quirræ

ræ, quia ſperat ſe poſſe declarari legitimum ſucceſſorem Status de Nules, & per conſequens cum hodiè ceſſet titulus hæredis ſcripti, quo nitebatur præfatus Dux, & hucuſque non habeat alium, non poteſt eſſe contradictor ad impediendam immiſſionem prædicto Marchioni de Nulles.

Nec obſtant pro impedienda dicta immiſſione argumenta adducta favore Ducis circa Iuſtitiam, quam fovere dicit, ad hoc ut ipſe declaretur legitimus ſucceſſor in Statu de Nulles in Iudicio proprietatis, quodque propterea prædictus Marchio non habeat ſufficientem titulum, cum non fuerit deciſa pertinentia in proprietate, & ei obſtaret exceptio (dolo facis, quod ſtatim reſtituturus es); quia hæc cognitio non ſpectat ad iſtud Supremum Conſilium, & in præſenti rerum ſtatu, cum ſuper intelligentia Teſtamenti dicti Don Gilaberti adſint fortes rationes hinc inde, potentius jus habet dictus Marchio de Nulles, quia pro ſe habet binas Sententias prolatas à duobus ampliſſimis Tribunalibus non in Iudicio merè poſſeſſorio, ſed habente annexam cauſam proprietatis, & è converſa Dux habet hodiè præſumptionem contra ſe reſultantem ex dictis duobus Sententijs cum ſola ſpe, quod poſſit vincere in Iudicio proprietatis.

Neque ſpectandum eſt inconveniens inſinuatum ex parte Ducis, quod ſcilicet ſequeretur ex immiſſione ad Statum Quirræ favore Marchionis de Nulles, eo quod forſan eſſet revocabilis in conſequentiam futuræ ſententiæ ſuper petitorio ejuſdemmet Marchionatus de Nulles, quia hæc ratio eſt nimis generalis, & vaga, nec minimum attendenda, nàm ſi quidquam valeret, ſemper ſuſpenderentur Sententiæ immiſſionis, quia poſſent revocari in petitorio, quod non ſervatur in Praxi, nec ſervatum fuit in judicio immiſſionis conceſſæ in Sardinia dicto Duci pro Statu Quirræ, neque immiſſionis conceſſæ Don Joſepho Català ad Statum de Nulles; Quamobrem ſi non adeſt inconveniens circa poſſeſſionem iſtius, tametſi brevi tempore, uti allegatur pro parte dicti Ducis ſperetur ſententia in petitorio, nec etiàm aderit inconveniens, quoties poſſideat pariter Statum Quirræ, non obſtante poſſibilitate revocandi Sententias prolatas favore Marchionis de Nulles ſuper dicto Statu.

Quia verò immiſſio petita fuit à Marchione de Nulles unà cum fructibus decurſis à die obitus Don Joachini ultimi

poſſeſ-

possessoris idcirco cum circa fructus perceptos à dicto Duce usque ad diem 10. Junii 1709. constet, illos Auctore Prætore, & bona fide percepisse, nec ante dictam diem fuisse à dicto Marchione contestatum, ac legitimè institutum immissionis judicium, propterea super hoc articulo pari modo constat, eumdem Ducem fecisse fructus suos usque ad eamdem diem, neque propterea ad illorum restitutionem teneri.

Idcircò, & aliàs deliberationem, & conclusionem in hoc nostro Sacro Supremo Sardiniæ Consilio sumptam insequendo, & visis, & consideratis omnibus à Partibus deductis in voluminosis Actis præsentis Causæ, & sæpius auditis earum Advocatis, & Procuratoribus tàm in scriptis, quàm in voce, perpensisque eorum Juribus, & Allegationibus; Pronunciamus, sententiamus, & declaramus non fuisse, nec esse locum revisioni dictæ Sententiæ Regiæ Audientiæ Regni Sardiniæ prolatæ die 24. Decembris anni 1675., cum fuerit benè, & rectè judicatum ad favorem dicti Ducis attento statu Causæ tempore, quo fuit lata, & attento eo, quod tunc temporis constabat, & resultabat ex Actis; sed quia ex noviter deductis, allegatis, & probatis in hoc Judicio plenario constat cessasse rationes prædictæ Sententiæ ex fundamentis novitèr deductis, & superiùs allegatis, reparatâ ad effectum de quo agitur, & in hoc Judicio dicta Sententia, dandam esse immissionem in possessionem dicti Status, seù Marchionatus de Quirra dicto D. Iosepho Catalá de Valeriola tamquam actuali Marchioni de Nulles, eumque imittendum esse in realem, & actualem possessionem omnium Oppidorum prædicti Status, & Marchionatus Quirræ cum jurisdictione, & cum omnibus accessorijs, pertinentijs, & juribus ad præfatum Statum spectantibus; Respectu verò fructuum, qui fuerunt petiti per dictum Marchionem de Nulles hucusque perceptorum à dicto Duce, absolvendum fore, & esse istum deffinitivè à restitutione eorumdem à die adeptæ possessionis perceptorum, & decursorum usque ad diem decimam Iunij 1709.; in quo fuit institutum hoc Judicium immissionis plenarium, quò verò ad decursos post dictum diem fore, & esse reservandum jus, quod ambabus Partibus competierit in Judicio petitorio, prout sic cum præsenti confirmari, reparari, immitti, absolvi, & reservari jubemus, repellendasque esse omnes instantias factas per dictum Ducem super nullitatibus ag-

grega-

gregationis, seù Fideicommissi, tàm ex defectu potestatis, quàm voluntatis, prout pariter cum præsenti repelli jubemus; Et super omnibus istis Articulis compensentur expensæ inter dictum Ducem, & Marchionem de Nulles.

Pariterque declaramus, & sententiamus instantias supradictas propositas, & factas per dictam Marchionissam de Moya Domnam Cajetanam de Omns tàm super medietate Marchionatus de Quirra virtute Fideicommissi Domnæ Violantis de Carroz secundæ, quàm virtute donationis factæ in Capitulis matrimonialibus fore, & esse tamquam insubsistentes repellendas à præsenti Judicio, prout sic cum præsenti repelli jubemus, repellendamq; pariter esse in consequentiam aliam suam ipsius subordinatam instantiam pro Sequestro tamquam Personæ non legitimæ in hoc Judicio, prout etiam sic cum præsenti repelli quoque jubemus, & declaramus, repulsis omnibus alijs Articulis, cæterisque à Partibus deductis, & allegatis tamquam ad præsens Judicium impertinentibus, & irrellevantibus; & reservatis Partium juribus, quæ ijs competierint in Judicio petitorio, & proprietatis coram hoc Supremo Consilio; & in expensis instantiarum dictæ Marchionissæ de Moya condemnamus eam in medietate, & in alia medietate prędictum Ducem, & Marchionem de Nulles. Hanc &c. non obstantibus &c.

V. Riccardus Pręses.

V. Galcerini Forteza Regens. V. Aguirre.

Publicata sub die 30. Decembris 1726., & intimata sub die 2. Januarij 1727.

TAURINI, Typis Joannis Baptistæ Valettæ Impressoris S. S. R. M.. 1726.